

QUAEDAM OBSERVATIONES

I N

SCARLATINAM.

50871 | B

TELLEGEM, AOH

[1868]

IV. D<sup>o</sup> 233



Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b22031856>





2600

QUAEDAM OBSERVATIONES

I N

SCARLATINAM.

WELLCOME

LIBRARY

UNIVERSITY

—  
**M**emini, te, Clarissime HUFFELANDI, per  
occasione stragis, quam *Scarlatina* adhuc edit  
inter mortales, provocasse Medicos, ut quae,  
in hoc morbo sanando vel mitigando, ipsis pro-  
ficiua visa sint adhibere remedia, tecum com-  
municarent. Lubet igitur et mihi has ad te  
mittere observationes, quae vero, antequam ea-  
rum in diario publica fiat mentio, tuo et alio-  
rum in arte medica versatissimorum vellem iu-  
dicio, et ulteriori ad lectum, si fieri posset, ex-  
amini subjicerentur. Vereor enim, ne, quod  
aliis recens laudatis accidit remediis, idem eve-



RIAT

niat in meum; quum aequa arduum sit prima statim fronte indicare hunc, quidem solum esse casum in quod medicamentum conveniat, ac difficile ad mox perspiciendum, cuinam adhibeatur oporteat; tum quoque, qui Theoriae *Brouwnianae* sint addicti, hoc meum remedium, utpote illis maxime adamatum, quamvis longe alio et a me diverso consilio adhibeant, avide arripiunt; quum e contrario isti Theoriae minus faventes, Pharmacum nostrum, ut primum eius nomen audiverint, rejecturi sint, tanquam humores, in primis in morbis acutis, nimis exaestuans remedium.

Haud ~~ad~~ ex re autem dicere hic putem, has meas qualescunque observationes, non ex hoc vel illo systemate, sed tantum ex naturae phænomenis desumptas. Divinum enim illud ~~BACONIS~~, *videre quid natura ferat vel faciat*, me hac in re duxit effatum. Hanc certe methodum,

dum, praesertim nostro in morbo protheiformi,  
 si statim fecutus fuissem, multos, qui nunc peri-  
 ere, aegros conservassem. Incipiente nempe hac  
 scarlatinosa, 5 ab hinc annis, epidemia, opinio  
 hac in urbe vigebat, quod venaesectio hoc in  
 morbo esset nociva; ita ut medicus, qui de hac  
 instituenda verba ficeret, interdum dimitteretur.  
 Effatum hoc, quod a viro in medicina exerce-  
 da nulli secundo profectum fuerat, forte in  
 epidemia tunc regnante veritati sicut consen-  
 taneum. Obtemperabam ego, et fortasse plu-  
 res iuniores Medici illud mecum fecissent, huic  
 vulgi difficile slectentis opinioni, et venam non  
 pertundebam, donec proh dolor! experientia me  
 docebat, quantum pernicioса erat illa opinio:  
 dum eadem hac tarda magistra deinceps simili-  
 ter docendus eram, contrariam opinionem, hunc  
 morbum in genere facile venaesctionem ferre,  
 haud magis esse salutiferam.

Missis itaque omnibus illis opinionibus, tanquam ē regione sibi oppositis, optima mihi dein visa est methodus illa BACONIS, qua videntur: *quid natura ferat vel faciat.*

Naturam ergo nimia sanguinis massa oppres-  
sam, vel reactione principii vitalis nimis inten-  
sa, sese miasmati opponere, quum viderem,  
venae sectione non abstinui; semper vero in oculis  
habens, hac operatione hostem non superatum  
iri, et sic viribus naturae cœscē parcendum: quam  
contra si deficiētē et vitalis principii fontem  
debilitatum observaverim, id operam dedi, ut  
ei⁹ vires sustentarem, et eiusmodi, quae Thæ-  
rapia generalis mihi suggereret, remediis, cor-  
roborarem: quamvis *debilitatis* *hodiernae* *indi-rectae*, ob facilem et subitaneum ex *Hyperstenia*  
in hunc statum transitum, me nunquam adeo  
habuerit ille metus. Vidi *Vir clariss.* casus, in  
quibus, invadente morbo hoc persido, vires ad-

eo statim erant dejectae, ut membrum pene nullum movere potuerint aegroti, pulsusque prae debilitate digito tangenti sese hirudinis adinstar offerret; natura vero dein, primo hoc impetu imminuto, ita contra hostem surgeret, ut ejus conamina 2 et 3 venaesctionibus suisent moderanda.

Num etiam BROUWNIANI *Steniam indirectam* agnoscant?

Eadem porro mihi fuit ratio in Cura evacuatoria instituenda. In exhibendis autem evaquantibus, me magis ad saniores praxin quam ad quandam Thcoriam vel opinionem componui: obsessa enim, quae haud raro, primis in hujus morbi diebus, conspicatur lingua non facile illum decipiet medicum, cui jam per experientiam constet, talem linguae statum sapient ab alterata hujus visceris secretione, quam a fordibus in primis viis latentibus proficisci;

ne vomitus quidem , tametsi simul adfuerit , ad labem gastricam concludendam , mihi sufficit . Hoc enim symptoma defatigans , magis , me judice , ab irritatione miasmatis quam sabburac provocatum , saepius sese sedantibus vel et sinapismo compesci sinit . Emplastrum anodijnum , aut Sinapismus stomacho applicatus , vel etiam emulsio anodijna leviter camphorata mihi sere semper optatam tulerunt opem ; dum pellicula illa sordida dein suo tempore desquamationis in modum separabatur , neque minus , ventriculo a contagio liberato , illa signa gastrica disperebant .

Longe tamen abest , ut omnem semper complicationem gastricam abnegem . E contrario si praeter dicta symptomata alia etiam systematis gastrici affecti signa observarem , uti os muco sum , amarum , ponderis in regione epigastrii sensum similiaque , bonis cum aegri rebus , emeticum praescripsi . Quoad

Quoad Complicationem biliosam, hanc raro  
regnantem vidi vel epidemicam: sera tantum  
aestate anni 1804 nonnullos symptomatibus bi-  
liosis detentos habui; cuius tunc complicationis  
signa erant lingua flava, tremula, sapor amarus,  
anxietas, cephalaea ingens et ejus generis alia.  
In his quoque aegrotis, quos praecipue extra  
urbem in pago *Noorddijk* tractandos habui,  
haud minori cum successu emeticum, et deinde  
parcas doses tremoris tartari vel etiam inter-  
dum Acidum vitrioli [\*] ex aqua Hordei ex-  
hibui.

A 4

In

[\*] Hujus medicamenti, ob vim, qua irritabilitatem  
febrimque minuat, sanguinem rarefactum orgasti-  
cumque, calorem et aestum temperet, putre-  
dini resistat, evacuationes fere omnes blande sol-  
licitet, admodum frequens mihi fuit usus;  
illudque per omne hujus scarlatinosae epidemiae

In illa scarlatinae specie, quae ingenti aliquando diarrhaea scenam aperit, et cuius exempla tunc quoque non erant rara, nunquam adstringentia vel Rheum praescripsi. Hoc symptoma debilitans fistere semper tentavi solutione Rad. Saleb cum Syr. Diacod.; intermixtis interdum parvis Ipecacuanhae dosibus; neque hoc mihi male successit. Dicta solutio

Saleb,

tempus, et in omni fere casu, quo fibrarum nimia tensio vel crispatio non esset, feliciter adhibui. Si quando aegroti hoc, ob faucium affectionem ex aq. Hord. vel alio cum vehiculo uti recusarent, sequenti forma propinatum ab illis assumi saepe vidi:

R. P. R. Saleb. 9iv.

Solv. aq. coct. 3xii.

Add. Spir. Vitr. 3ii.

Syr. Rub. Id. 3ii

S. Omni hora vel bihorio vasculum.

Saleb, quod obiter dicere liceat, mihi in diarrhaea rheumatica epidemica fistenda raro opem negavit; dum ii, qui Rheum assumerant sua sponte, in longum protraherentur morbum: dirrrhaea quoque nostra an ex alia de causa repetenda sit, quam ex ipso contagio, quod, cum ventriculum irriter, vomitum gignere videtur? hoc saltem fundamento, quam tenendam putavi hanc agendi rationem superstruxi.

Quas autem nuper ratione Curae evacuatoriae fecerim, observationes, tecum **VIR CLAR.** communicare liceat.

Sc. tempore autumnali anni praecedentis in hac regione frequens admodum fuit *Morbus epidemicus tertianarius* ex febre intermittente et rheumatica compositus; propter nauseam et vomitiones, qui accedebant, vulgo febris biliosae numero habitus et ita dictus. Non pauci illorum, qui nostram artem rure exercent, pro-

pter haec symptomata, medicamenta, quae *ana*  
*et cato* operantur, larga manu aegrotantibus  
exhibuerunt: et vero etiam nonnulli, ut siccata-  
tam bilem e corpore pellant, ita nimirum lo-  
quuntur, eandem medendi rationem sine sperato-  
tamen successu continuarunt per longum tempus.  
Multi ergo aegroti post vires saepe exhaustas  
medicorum urbanorum auxilium petierunt. Illos  
autem, qui me consularent, per sequentem fere  
mixturam, cuius singulis binis horis cochlear  
sumendum jubebam, adhibito simul, quod dici  
solet, regimine calido, ad pristinam sanitatem  
reducere contigit.

R. Aq. Meliss. ʒ xv i.

Extr. Tarax. ʒ i.

— Card. ben.

Vin Ant. Hxh. a 3 ii.

Syr. C. Aur. ʒ ii.

Quod si alvus, quae nunc ordinario tarda-  
erat,

erat, non responderet, dictae mixturae Elix. Salutis adjeci, cuius quidem usus per totum autumnum mihi salibus mediis praeferendum videbatur. Haec enim, quae in vernalibus quotidie pro re nata parva dosi exhibita, utilis erant, nunc quidem praeterea, quod intestina per calorem aestatis praecedentis insolitum jam labefactata, magis adhuc debilia reddendo, sedesque aquosas non coctas producendo, nociva esse intelligebam. Hoc autem, de quo dicebam, Elixir non statim morbi initio, sed demum, postquam vis ejus imminuta fractaque esset, exhibendum censui. Motus namque illi in abdominis visceribus abnormes ex subita aëris atmosphaericæ mutatione profectæ, potius per usum remediorum Sedantium et Eccoproticorum, quam heroïce evacuantibus cesabant. Ad anxietates illas et vomitiones minuendas Cataplasmata emollientia vel Empl. anod. regioni

epigastricae applicatum et interne aër fixus, ex Magnesia alba per paulum Crem. Tart. provocatus, majori quidem cum fructu adhibebantur quam Emetica, quippe quae igni quasi pabulum subministrando morbi vim augebant. Aliquando autem, si neque illa, de quibus dicebam, remedia exitum speratum haberent, emulsionem leviter anodijnam, vel et externe Sinapismum, summo cum fructu adhibendum curavi. Emetica vero rarissime porrigenda jussi.

At hinc abire tempus est. Tu mihi, *vir. clar.* hanc qualemcunque digresionem nimium fortasse longam facile condonabis. Nunc ad hoc me converto, ut Opii in *Scarlatina*, praecipue autem in Delirio sanando, utilitatem exponam. Ac primus quidem, qui hujus rei ansam dabat, Puer erat viii. annorum; huic, quum per septem jam dies continuo miti et dolenti laborasset delirio, accendentibus convulsionibus, adeoque

in extremo vitæ discrimine versanti, exhibebam  
 gr. i. Opii cum gr. ii. Mosch. Praestabat enim,  
 meo qualicunque judicio, anceps quoddam,  
 quam plane nullum, remedium; eo etiam ma-  
 gis, quoniam, qui antea in eodem statu versaban-  
 tur, ad unum omnes occubuisse comperieram.  
 Jam vero in sequente mane, cum vita functum  
 vel saltem morti proximum visurum putaveram,  
 melius se habebat. Pulvis attulerat somnum,  
 quo et delirium cesaverat, et motus quoque  
 convulsivi multum erant imminuti. Cutis porro,  
 quam vesperi duram, siccām, supra osfa con-  
 tractām observaveram, nunc melior erat ad per-  
 spirationemque disposita. Quum autem dicta  
 symptomata, evanescente opii operatione, tunc  
 recrudescere inciperent, eundem ei pulverem  
 propinabam eodem iterum pariter atque effectu:  
 Et sic Puer noster, eadem ratione hoc remedio  
 continuato, intra tres dies, veluti ab orco in  
 lucem redux factus est.

Ex hoc tamen casu, etiam si valde notabili, efficere, quod satis esset, minime ausus sum; usque donec novam mihi licuit per Lampadem artis, (ut *viri clar. PORTALLII* verbis utar) cadaveris nempe inspectum, facere observationem; et illam quidem in Juvenc xx annorum, delirio ex omni parte phrenitidem referente, extincto. Hic, apertura crani facta, encephalon, quod putas fore inflammatum vel sanguine turgens, ne unam quidem mortis causam exhibens, sanum omnino apparebat: quod quidem phaenomenon inopinatum animo deinde volvens, et de casu pueri supra memorato recordans, in eam incidi cogitationem, fortassis etiam plures in Scarlatina delirii species, miasmatis ex irritatione cerebri membranas vel cunctisque alias hujus visceris sensiles partes vellicantis, posse deduci; atque hinc factum esse, ut variae curandi methodi, usque adhuc adhibiti-

tae, prosperos non habuerint successus; quippe quae ad apparentem encephali inflammationem, ad sanguinis ad illud congestionem imminuendam, revulsionem faciendam, aut ad spasmus solvendum praesertim tendere videantur.

His nunc perpensis, constitui ut, simul atque occasio fuerit data, Opii vires tentarem, quod semel jam praeter exspectationem successum habuerat. Atque hanc primum praebuit Puer x annorum, ad quem, meae curae per quadrivium jam commisum, vocabar vesperi obcoepit delirium. Febris, quae morbum comitabatur, *rheumaticae* in modum decurrens Opium non interdicere videbatur. Exhibebam itaque Syr. Pap. alb. ʒ i. cum aq. Menth. ʒ ii. idque duabus vicibus sumendum praescribebam. Delirium, quod primum post haustum jam imminuere incipiebat, secundo 3 horis post dato plane cessaverat, placidumque aeger habuerat

iomnum, de quo mane rediens lactissime sum gavisus.

Quamquam autem hoc experimentum bene successerat, rem tamen confectam esse minime putabam: quam vero e casu sequenti extra omnem dubitationem esse positam nemo, credo, unus inficias iverit. Nimirum quidam Juvenis xxviii annos agens, delirio per octiduum captus, in extremis versabatur, meam quum ejus suscipere rogaient curationem. Varia medicamenta tam interna quam externa ipsi erant data, et jam moribundus videbatur. Totum enim corpus tetanice erat adfectum, vel maxilla inferiore non excepta; facies Hippocratica; oculi sanguine perfusi et quasi inflammati ac prominentes, fixi; brachia etiam a corpore paralijtice pendentia; functiones autem, voluntati non subjectae, magis debilitatae videbantur quam spasmodice adsectae.

Respiratio quippe non adeo anxia, difficultis, nec pulsus, quamvis debilissimus, tam frequens erat ut ex caeteris symptomatibus collegisses. Delirii vero interni adhuc adesse videbantur leviora indicia. In hoc rerum statu, naribus ejus occlusis, gutt. x. Laud-Liq. SIJDENH., cum pauxillo aquae commixtas, in os ingerere contigit. Hujus autem remedii operatione aliquantum refici videbatur, quod saltum pulsus incitatiorem et caloris augmentum indicare dixisses: quatuor vero horis clapsis, in pristinum quem revertebatur statum, iterum ei gtt. xii Laud liq. propinabam, quae non minorem habebant effectum; atque idem illud post tertiam quartamque dosin obtinebat locum, majoris tamen cum emolumenti indicis: plus enim redibat calor, augebatur pulsus, atque alia meliora symptomata conspiciebantur; quae vero omnia duabus pluribusque deinde dosibus exhibitis magis magis-

que apparuerunt; adeo ut 5<sup>o</sup>. jam die major valetudinis affulgeret spes. Respiratio etenim, quae fere insensibilis fuerat, reddebatur magis manifesta; in brachiis paralytice jacentibus redibat motus, et quod mirari subit, delirium proxirum reparatarum ratione augmentum capiebat: hoc tamen ita intellectum volo, ut illud, immunita Opii operatione, tantum locum haberet: cessabat namque fere in totum, simul ac de novo exhibita Opii dosis suas exercere incipiebat vires. Quia de re ut certior evaderem, interdum Opii exhibitionem in unam alteramve horam differre jubebam, quo factum ut omnia pejora redderentur; delirium enim non modo augebatur, sed motus quoque convulsivi faciei et brachiorum, qui antea, viribus nondum detritis, quoque adsuerant, sese manifestare incipiebant. Idem illud experimentum postea quoque in aliis delirantibus eodem cum eventu institui.

Hoc rerum in statu, viribus etiam si indies incremento procedentibus, per 8 dierum spatium remansit aegrotus Noster; quando demum sponte delirium evanescerat: Opium, quod, ad dictum symptomata compescendum, ut continuo ipso exhiberetur, necesse erat, nunc, ad animam tranquillam reddendam, et ad remanentem corporis statum spasticum sedandum, per aliquot adhuc dies subinde praebendum, mihi erat persuasum.

Atque haec in gratiam BROWNIANORUM dicta sunt: quippe qui subitam illam Opii operationem sine dubio *stenicam*, delirium sc. nostrum a *debilitate indirecta* deducendo, declaraturi sint. Quos vero hoc ita asfumentes rogatos quoque velim, ut mihi explicent, cur ergo hoc remedium cardiacum, viribus adhuc integris et satis validis, quod postea variis in ca-

fibus [\*] videre contigit, in delirio hoc domando nulli sit secundum. Itaque si liberè, quod sentiam, dicam, derivandos illos stupendos effectus, a *vi sedativa, stupefaciente, perceptionem doloris vel stimuli tollente, existimem*; quamvis nec aliquis facile negaturus sit, nullam hic, saltem in casu memorato, vis stimulantis rationem esse habendam.

Ne autem quis putet, me semper, auditis modo ab aegroto alienis verbis, statim ad Opium consurgisse. E contrario nunquam in exhibendo quodam remedio magis solitus fui, quam in hoc Pharmaco heroïco. Nec mirum, cum pauca admodum fuerunt mihi in practicorum libris vestigia, quibus inflare potuerim; neque hoc ipso tem.

[\*] Omnes hic enarrare casus non lubet, dixisse ergo sufficiat, Opium plusquam in 15 aliis subjecti, delito acne in te ac furibundo detentis, mihi ex voto successe.

tempore, quo & sc. per menses remedio hoc usus sum, illam curam facilem adeo reperi, ut subinde difficultate haud parva premi me comperirem.

Ut autem quae in causis illis dubiis mea agendi ratio fuerit, scias velim, *Vir Clar.* me in his quodammodo composuisse me ad exemplum, caeterum sortasfe nimis Opii laudatoris, SYDENHAMI, ejusque nonnulla, praeter vulgo recepta consilia, esse secutum. Sic ad locum, qai T. I. p. 40 exstat „*quamvis enim febre vigente, quae Narcos eos vi praedita sint, non omnino profundunt, neque destinatum a medico scopum feriant, tamen opportune et declinatione morbi adhibita praeclaros effectus edant.* Ibidemque; *Laudanum vel alia quaevis narcotica in principio, augumento, vel statu hujus febris ad symptomata hoc (phrenitidem) levandum, vel non prodesse omnino, vel quod saepe accidit, etiam obesse;* animum advertens, semper ab opii usu absti-

nui, quoties delirium cum synocha vel febre inflammatoria, venaesectione et antiphlogisticis prius infringenda, coniunctum observabam; semper vero in oculis habens, rem mihi esse cum morbo composito, non ex se solo agente sed ex veneno excitato. Cujus quoque rei laudatus ille Vir in variolis, morbo analogo, rationem habuit; cum, licet Opii vim calefacientem et cardiacam agnosceret, in variolis tamen, quas nihilominus inter morbos calidos habendas censuit, ad compescendum in confluentibus vehementem sanguinis ebullitionem, ptyalismum sustentandum, et ab ea pendentem phrenesin praecavendam opium laudavit, illudque et ipsam venaesectionem pari passu ambulare fecit. Quae quidem SYDENHAMI agendi ratio, quamvis prima fronte saniori Theoriae minus congrua videatur, mihi tamen in uno alteroque al.

casu ex voto successit. In quibus tamen diffiteri nolim, me ante Opii exhibitionem venaectionem institui, et si qua deinde sanguinis detrahendi esset necesitas, collo hirudines applicari curassem.

Magnam autem utilitatem in dijudicanda opii indicatione mihi attulit urinae exploratio; quam, cum sub delirio rubram, hystostaticam, esse videarem, febre simul Sijnochae in modum deslagrante, ne unquam Opium exhibui; metuens semper, ne vasorum cordisque actionibus jam nimis excitatis major adderetur stimulus. Simulac vero cum febris, tum calor cum ardore sitique, similiaque symptomata diminui incipiebant, urinaque limpidior minusque colorata conspiciebatur, audacius hoc remedio sum usus.

In illis autem casibus, quibus motus febribiles abnormes, actiones corporis quidem per irritationem veneni incitatas, sed minori cum ener-

gia decurrere monstrabant, non dubius haesi,  
praesertim si simul cum delirio urina eset lim-  
pida, spasmatica, medicamentum laudatum  
praescribere.

Haec ultima ratio, urinae sc. limpitudis, ali-  
quando mihi sufficiebat ad Opium aegro praae-  
bendum, tametsi uno in casu ea me fefellerit; nem-  
pe muliere nupta xxviii annorum, caeteroquin  
fana vegetaque, quae menibus quoque instantibus,  
quarto morbi die, delirare cooperat. Ob urinam  
limpidam, vasorumque actionem non valde incita-  
tam vix inflammatoriam, si symptomatumque, quae  
hanc sequi soleant, veluti ardoris, sitis, cutis turge-  
scientiae, similiusque absentiam, statim ad deliri-  
um urgens sistendum, licet minus feliciter, mixtu-  
ram cum Laud. liq. et Nitro praescribebam; quam  
ob rem etiam ab ulteriori ejus usu abstinentiam  
putabam, et hanc rem inquirenti causa inox se  
afferebat; cum plethoram impedimentum esse in-

telligerem, quo minus Opii, turgescientiam ad caput producentis, usus speratum haberet effectum. Postquam vero ad sanguinis massam diminuendam duas venaesectiones institueram, delirio nihilo minus increscente, denuo ad usum opii felici cum exitu me contuli. Sc. post primam Cpii dosin, ex gr.  $1\frac{1}{2}$  constantem, delirium, somno excitato, cessabat: cum autem dein, postquam Opium amiserat vim, vires resumserat, iteratis hoc pharmacum vicibus exhibui, quo facto tandem sponte evanuit.

Sed an haec medendi methodus, quam ultimis hisce octo mensibns, quibus Constitutione rheumatica fuit epidemica, feliciter institui alia quoque Epidemia v. gr. biliosa vel gastrica regnante, tam felices habitura sit successus, dubitem. Atque sic in futurum ad Constitutionem quamcunque epidemicam vigentem, cuius cognitio est dux et acus nautica in assequendis in-

numeris aliis affectionibus morbosis correagnantibus, attendendum esse, nemo non intelligat.

Non autem in solo delirio sanando egregia est Opii vis, verum etiam, quin in aliarum quoque partium affectionibus nervosis perutilis sit, vix ac ne vix quidem dubitem. Saltem hoc ipsum experientia me docuit in uno casu, quo venenum *Scarlatinosum* sensiles artuum partes, vel, si mavis, ipsos earum partium nervos afficiebat, eoque ipso furiosos dolores excitabat. Videas similem apud SWIETEN. T. v. p. 134, puellae casum huc fortassis pertinentem. Juvat alterum, quo idem comprobetur, quemque cum amicissimo WOLTHERS medico videre mihi licuit, adjicere casum: sc. secundo nuper Decembbris die invisebam ad faeminam quandam nuptam, debilem illam natura, ex abortu vero, quem ante hosce 4 hebdomadas passa erat, convalescentem. Haec vero, quae pridie illum diem

aegrotare cooperat, jam sui nescia et mite delirans lecto decumbebat; faciem habebat contractam, pallidam, oculos semi apertos subinde lachrijmam emittentes; pulsus erat parvus, contractus; lingua sicca, brunnea. Huic morbo, ut febris nervosae mali moris habitu, praescribebam infusionem Rad. Valerianae cum spir. Nitri dulc. et Rob. Samb. et practerea Acid. Salis ex aq. frigida ad gutt. ii. omni bihorio pro potu sumendum. Sequentis dici mane ad eam iterum invisens cum memorato Medico cacteris, quac die praecedente adsuerant, symptomatibus, pertinax crurum retractio accesferat; [\*] vespertino autem ejusdem diei tempore ad

ae-

[\*] Eo autem tempore dicto amico similem de crurum retractione, tunc in memoriam redactam, observationem narrabam; quamque dum Parisius agerem ex Viro Clar. dexterimoque GIRAUD

aegrotae lectum iterum accedens, eamque proprius examinans, maculae rubrae in pectore ejus conspici videbantur. Mili inquirenti ergo ex marito, num forte uxor in aliquo infecto fuerit loco, respondit ille, die 4<sup>o</sup> antequam morbus, quo lecto decumbebat, ortus sit, ad infantem Scarlatina laborantem adiisse; de faucium porro dolore uxorem suam conquestam esse, in memoriam se reducere. Ipse autem de quo memorabat infans, meac quoque curae traditus, ex Angina maligna ejusque perpetua fere comite Febre nervosa, vita decessit. U-

Professore in Nosocomio *Hotel Dieu* dicto, acceperam, quamque veram esse ipsa me docuerat experientia. Nimirum quod retractio illa crurum apud illos, qui ex causa externa capite laesi essent, ordinatio indicio sit vulneris lethalis mortisque instantis; quippe unde suspicari liceat basin cranii esse laesam.

Utinam vero in hac *Scarlatinæ* specie sananda meliora, quam quae vulgo nota sint, discamus; tum etiam in illa rerum conditione, qua aegroti, principio vitali suppresso vel extincto, primis statim morbi diebus trucidantur.

Sed ut ad aegrotam mulierem redeamus, in ea, quam supra enarravi, rerum conditione, eam *Scarlatina* decumbere suspicans, Pulverem DOVERI, omni trihorio ad gran. i i. sumendum, praescribecbam: non tam ad delirium sistendum, quam ad spasmus solvendum.

Die 3<sup>o</sup>. tota rerum facies erat mutata; mentis praesentis aderant indicia; cutis antehac sicca et contracta nunc contra relaxata erat; sudor post secundum pulverem, ab aegrota sumtum, fuit elicitus; crurum denique retractio cessabat: respirationem autem difficiliorem esse et anxietatem, qua oppressa erat aegrota, per capitis et colli retractionem minuere anniti quum obser-

varem, pulveres dictos continuari jubebam, et Sinapismum, quod in multis casibus vesicatoriis praeferrri videtur, quippe quae non raro, stimulo stimulum addendo, febrimque excitando, morbum augent, pectori applicandum curabam.

Die 4<sup>o</sup>. plane sibi erat conscientia, et ab omni molesta respiratione liberata erat aegra: conqueritamen nunc incipiebat de dolore pedis dextri; cui circa malleolum externum paululum tumefacto cataplasma emolliens applicabatur.

Die 5<sup>o</sup>. dolor pedis non tantum erat acutus, sed etiam per crura dispersus, dum et febris novas vires assumebat. Singulis itaque 3 bus horis exhibebantur Pulveres DOVERI, singuli ex gr. x. constantibus.

Die 6<sup>o</sup>. febris increscendo percurrebat; et dolor quamvis et magis intensus, post exhibitum tamen singulis vicibus pulverem, magnas veluti inducias faceret, somnus etiam aliquantum subinde consecutus est. Sed

Sed quo plura *vir Expertissime!* quum non omnia, quae hujus morbi decursum comitata sunt, sijmptomata, ordine enarrare in animum meum induxerim, sed praecipua tantum commeniorare.

Dolorem itaque, quem ut supra dictum, jam insigniter auctum, et indies increscentem, nova caque, ad ipsius intensitatis rationem composita, Opii dosi compescendum esse nobis erat persuasum. Etenim Opii exhibiti operatione in corpore aegrotantis decrescente, dolor ipse ita intolerabilis siebat, ut, nisi Opii intervenisset usus, aegrota certe convulsiva periisset; quod inde pateat, quia, cum die morbi 10<sup>o</sup>. aegrota, consumptis pulveribus, per duas horas diutius, quam solita erat, sine dicto medicamento manferat, dolor adeo increscebat, ut convulsivi, quos edebat, vagitus e longinquo imo extra domum a nobis audiri potuerint: qui autem,

de novo opio ad gr.  $2\frac{1}{2}$  exhibito, iterum filebant. Ut autem rem magis contraham et judicium de dolore ex Opii adhibiti quantitate servatur, dixisse sufficiat, aegram intra 20 dierum spatum Pulverem DOVERI  $\vartheta$ viii Laud. liq. syDENH. gutt. XL. et praeterea 3i. et gr. vii. Opii puri sumisse. Tempore vero isto clapsi; per plures dies, ut pulvis ex Opii gr.  $2\frac{1}{2}$  vesperi ipsi exhibeatur, necesse fuit, qua noctem quietam, dolorisque expertem transfigere posset.

Urino, quod memorare attinet, per totum morbum limpida aquosa sine sedimento manxit; neque illud omittendum est, quod circa alvi exonerationem observari licuit. Die sc. 6<sup>o</sup> infusionem laxantem praescripsoram ad alvum, tunc nondum dejectam, solicitandam. Hanc etenim, dum Opium asfumitur, ordinario constipatam, quinque alias per clysmata exonerare soleo, nunc, quia res angusta erat domi, potius hac

ratione purgandam censui. Memorata autem  
infusio, praeter spem et opinionem, diarrhaeam  
doloribus colicis stipatam, et per duos dies du-  
rantem, efficiebat. Febris quoque, quae ut supra  
dixi accendebatur, tantas accipiebat vires, ut ves-  
pertina sub exacerbatione 136 pulsus ictus tan-  
gerentur. His sane rerum in angustiis aegrae  
mortem instare putabam. Utilitatem, quam  
hac occasione Solutio mihi Saleb praefudit,  
pro meritis laudare nequero. Acidum salis, quo  
hucusque usia fuerat, nunc etiam seponebatur, et  
Pulverem DOVERI, ob Sal medium, quod con-  
tinet, similiter ab Opio puro cum pulvere Ocul.  
Cancr. et Gum. Arab. excipi curabamus.

Atque haec hactenus *Vir Clar.* tua et aliorum  
opinione fortasse nimis multa. Licet mihi ta-  
men, bona cum venia tua, de externa *Arginae*  
medela pauca quaedam adjicere.

Sc. jam supra verbo dixeram<sup>1</sup>, Sinapismum multis in cibis Vesicatoriis esse praferendum. Nunc id unum adhuc noto, me in praesenti non nisi parcius Vesicatoria applicare. Post quam e im plura corum, de quibus multi iisque graves loquuntur Auctores, noxia et ipse expertus fueram, aliam potius mihi viam incundam putavi; applicando nimirum collo, maxime si ejus partes externae tumefactae sint, solutionem Salis Ammoniaci fomenti vel etiam cum farina Lini cataplasmatis forma. Quae quidem medendi ratio, ante jam in Plymosi venerea similibusque hujus impurae inflammatis, vesicatorio sanc difficulter quoque sanandae, affectionibus prospere a n e successu instituta, hoc quoque in easu satis proficia mihi visa est. Si quando irritante aut rubefaciente quodam remedio, ad spasmum solvendum aliumve in sinem, mihi

opus sit, fracta nempe morbi vi, balneum topicum irritans, vel aliis verbis, sinapismum, ex eadem dicta farina cum Sinapi compositum, parti affectae applicari curo. Qua ratione si nem si assequi possum, ideo magis mihi arridet, quoniam tuac postea cum illa febre *cantharidali* (ut ita dicam), vesicantium perpetua fere pedissequa, nulla mihi res est.

In illa tandem faucium affectione, quae interdum morbi declinatione raucedinem, tussin molestam, continuam excitet, et deglutitionem non tantum difficilem reddat, sed etiam hanc interdum praecludere valcat, quaque tum ex larijngis tum et pharyngis excoriatione proficiunt, quam in exhalationem vaporis aquae calidae vidi, remedium.

Sed haec jam satis de his dixisse sufficiat.  
Vale multum *Vir Maxime!* et longiores hominis

ignoti literas in bonam partem interpretare,  
meaque importunitati ignosce. Iterum vale,  
meque tibi commendatissimum habe.

Groningae 20<sup>o</sup>. Febr. 1808.

A. O. H. TELLEGEM,

*Med. Doct.*











